

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Dissertatio Theologica De Christo In Officio suo Prophético ex Matth. c. XX. v. 17.-34.**

**Pfaff, Johann Christoph**

**Tubingae, 1718**

**VD18 1241882X**

Cap. Matthaei XX.

[urn:nbn:de:bsz:31-130411](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130411)



**P**rophetam illum Magnum Christus se exhibuit & Matth. XX. fata sua ultima prædicendo, ambitionem Johannis ac Jacobi corripiendo, cæcisque visum miraculosè restituendo, de quibus singulis impræsentiarum *o. θ.*

Cap. Matthæi XX.

ψ. 17.

**E**T sponte Ps. XL. 8. ascendens Jesus in urbem illam editam inque quatuor montibus, Sion, Moriâ, Acrâ & Bezethâ sitam, sc. Hierosolyma adeoque in locum morti suæ pridem destinatum Luc. XIII. 33. assumpsit XII. discipulos suos in testes tum prædictionis hujus Joh. XVI. 4. tum voluntariæ mortis, privatim, suam quidem passionem prædixerat quoque aliis Luc. XI. 29. Joh. II. 19. VII. 33. nondum tamen adeò clarè ac discipulis h. l. solis. in viâ ubi de rebus non nisi arduis colloquendum Deut. VI. 7. XI. 19. Judic. V. 10. II. Luc. XXIV. 14. Act. VIII. 28. & eis thronos ac coronas somniantibus ait de morte & cruce, ut hanc & sciens & volens subiisse post credatur. Joh. II. 22.

A 2

18. Ecce

ŷ. 18.

Ecce instat pascha ultimum & definitum passionis meæ tempus, ascendimus in illam speluncam latronum Luc. XIX. 46. & nos sequamur Christum patientem Matth. X. 38. Hierosolyma, quæ locus meæ passioni mortique destinatus, non Nazareth. Joh. VII. 44. & Filius hominis Ego Θεάνθρωπος protoplastis promissus. Humanæ naturæ concretum non satis perpendens Stancarus male arguitur: Filius hominis dicitur tradi, E. Mediator est juxta naturam modo humanam. Legitur enim occisus & Princeps vitæ Act. III. 15. & Dominus gloriæ crucifixus I Cor. II. 8. & redemisse nos per sanguinem suum proprium ipse Deus, Act. XX. 28. Ergone colligas inde, Christum esse Mediatorem juxta naturam modo divinam. v. Chemn. d. N. Christ. c. XIII. f. m. 65. a. tradetur principibus, Quos & scientiâ & conscientiâ eminere decessisset, præ omnibus aliis pronos in Messiæ mortem Judas proditor deprehendit, Hannam sc. atque Caipham, Pontificesque reliquos sacerdotum & scribis quorum autoritas quoque summa ac judiciaria. v. Dub. Ev. Spanhem. Part. II. p. 401. Et ob falso objectum blasphemix crimen injustissimè condemnabunt, qui actus summi odii atque iræ, eum morte in palatio Caiphæ, Matth. XXVII. 3. Marc. XIV. 64. v. Dorsch. I. Th. Zach. p. 258.

ŷ. 19.

Et Principes sacerdotum ac Scribæ tradent eum ceu seditiosum gentibus Pontio Pilato Matth. XXVII. 2. uti Israelitæ Simsonem pridem tradiderant Philistæis. Judic. XV. 13. adillu-

ad illudendum ignominiosissime Matth. XXVII. 27. & flagellandum atrocissime Joh. XIX. 1. vid. Classen d. Passio. Chr. p. 236. & crucifigendum amarissime Matth. XXVII. 26. Luc. XXIII. 33. quod supplicii genus non modo Romanum, // sed apud Judæos quoque fuisse in usu Moebius demonstrat. // in Dispp. p. 1053. Si meritis nos nostris redimi potuissemus, tanta Christus frustra fuisset perpeffus. Bellarminus quidem Christum non pertulisse pœnas damnatorum lib. IV. de anim. Christi c. 8. scribit: *describuntur sigillatim omnes Christi afflictiones, nulla autem mentio fit inferni, Matth. 20.* Tom. I. f. m. 437. At quòd post afflictiones corporis Dominici h. l. enumeratas nulla dolorum infernalium, sed mox & immediatè lætæ potiùs resurrectionis fit mentio, docet, quod post passionem ac mortem crucis Christus nihil amplius fuerit passus, quod verò præter illos corporis cruciatus, nec in animâ ullos senserit infernales ex omiffâ h. l. dolorum infernalium mentione minus sequitur, sufficit enim commemorari alibi Christoque tribui animæ & laborem Jes. LIII. II. & mœrorem Matth. XXVI. 38. maximè vero & funes inferni laqueis mortis contradistinctos Ps. XVIII. 6. An vero plane fuerat actum de Messîâ crucifixo? Minime, sed per miram catastrophem & tertia die tria itaque illa *υυχθημερα* synecdochicè esse sumenda colligas & ex Hos. VI. 2. resurget virtute propriâ Joh. II. 19. X. 18. Rom. I. 4.

ψ. 20.

Tunc post promissionem sc. thronorum Matth. XIX. 28. susceptum in urbem regiam iter. c. XX. 18. & prædictionem gloriosæ resurrectionis, ψ. 19. ex quibus omnibus regnum Messîæ mundanum, cuique, qui id somniaverat hæctenus, nunc

A 3

videba-

videbatur appropinquare, hinc accessit sed satis intempestivè ad eum cruces potius mortesque locutum ꝑ. 19. Salome, Josephi soror & Jacobi ac Johannis, quibus pro ingenio & affectu matrum de caducis potius honoribus Ps. CXLIV. 12. quam æternâ salute prospexit Mater filiorum forsan tum jam mortui Zebedæi, duriusculè Chrysostomus Homil. XXXV. in Matth. Per mulierem res agebatur, contulit se diabolus ad consueta arma mulierum, ut, sicut Adamum per mulierem spoliavit, ita & istos superaret per matrem, nam, etsi mater erat, tamen mulier erat, propterea quod, etsi affectus ejus dulcis erat erga filios tanquam matris, intellectus tamen ejus nocivus erat quasi mulieris Gemella habet de hoc sexu & Hieronymus ad Cresiphontem versus Pelagianos: Simon Magus hæresin condidit Helena meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immundiciarum repertor choros duxit sæmineos. Marcion Romam præmisit, quæ decipiendos sibi animos præpararet. Apelles Philomelen suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritus prædicator multas Ecclesias per Priscam & Maximillam nobiles & opulentas sæminas primum auro corripit, deinde hæresi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora transcendam. Arius, ut orbem deciperet, sororem principis ante decepit. Donatus per Africam ut infelices quosque sætentibus pollueret aquis, Lucilla opibus adjutus est. In Hispanis Agape Elpidium mulier virum cæcum cæca duxit in foveam, successoremque sui Priscillianum habuit Zoroastris magi studiosissimum & ex mago Episcopum, cui juncta Galla non gente, sed nomine, germanam huc illucque currentem alterius & vicina hæreseos reliquit hæredem. Tom. II. f. m. 253. cum filiis suis à quibus Patre forsan notioribus & superviventibus h. l. denominatur Salome, adorans tamque profundâ submissione nonnisi summos honores exoratura & pe-

& petens aliquid ab eo, id speciatim non expressit, sed astutè subtrahit, uti & Batscha I. Reg. II. 20. quo facilius prævolarè assensus, uti e. g. Herodis, Marc. VI. 23.

ŷ. 21.

Et ille omniscius Dei filius dixit ei non ex indigentia, qui scit enim omnia, nullà opus habet sciscitatione, Joh. II. 25. XVI. 30. Quid vis? non omnis interrogatio ignorantiam supponit. Gen. III. 9. IV. 9. Job. I. 8. ait nomine filiorum, ab his subornata Mater. Summa parentum cura pro prole in precibus consistit, sed piis. Gen. XXVIII. 3. I. Sam. I. 28. Tob. IV. 6. Syr. III. 10. illi Domino Dic, satis pro imperio, decuisset superaddere minimum: *si vis*, Matth. VIII. 2. ut sedeant, occasione thronorum Matth. XIX. 28. promissorum malè ac carnaliter arreptà, hæ preces videntur ita conceptæ, duo filii mei Johannes & Jacobus. Prospiciant Parentes liberis potius æterna Eph. VI. 4. Cætera jam tum adjiciet cœlestis Pater ac disponet, uti Josephum ex carcere, ex lacu Danielem, Davidem ex ovili & a bubus ad summa evexit Elisæum. Unus ad dextram tuam, uti Batscham Salomo ad Dextram suam collocavit, I. Reg. II. 19. uti ad dextram Regis esse dicitur Regina Pf. XLV. 10. & uti Tiridatem Nero juxta se *latere dextro* collocavit apud Suetonium libr. VI. & alter ad sinistram, Ineptè verba precis hujus cœcæ ac carnalis ab Enjedino & H. Grotio torquentur ad elevandam Filii sessionem ad dextram Patris. Longe enim aliud est sessio ad dextram Patris divinitus revelata & per *regnare* explicata I. Cor. XV. 25. & aliud sessio ad dextram & sinistram Filii hominis humanitus effecta & carnaliter h. l. expetita, Ecquis unquam aliquid de sinistra quadam

quadam Patris vel legit vel audivit , ad quam sedeat alius ?  
in regno tuo , quod fore terrestre & mater & filii somnia-  
bant.

ψ. 22.

Respondens autem Jesus dixit adversus arrogan-  
tiam precis ac ambitionem, qualis & in credentibus notanda  
Jer. XLV. 5. Nescitis Joh. IV. 22. Rom. VIII. 26. quid vos  
duo filii unâ cum subornatâ Matre Marc. X. 35. petatis, cum  
nec meam attendatis intentionem Joh. XVI. 24. nec regni mei  
spiritualem rationem, Joh. XVIII. 36. nec servilem vestram  
conditionem, Luc. XXII. 25. Potestis bibere Bibere sæpe  
idem est ac affligi Job. XXI. 20. Pf. LX. 5. LXXX. 6. Jer. VIII.  
14. IX. 15. XXIII. 15. XXV. 16. 26. - II. 10. Thren. III. 19.  
Hab. II. 16. Nah. III. II. Ap. XVI. 6. vid. Tom. I. Dispp. Ac.  
Dilherr. p. 424. Poculum crucis, quæ amarulentæ potio-  
ni haud absimilis, conf. Pf. LXXV. 9. Jes. LI. 17. 18. Jer. XXV.  
15. LI. 7. Thren. IV. 21. Ez. XXXIII. 32. 34. quod ego bi-  
biturus sum Pf. LXIX. 22. Matth. XXVI. 39. 42. Joh. XVIII.  
II. & baptismo sanguinis quo ego baptizor Luc. XII. 50.  
baptizari, uti baptismus haud unâ absolvitur guttâ sic & pio-  
rum afflictiones abundant. Pf. XLII. 8. Jon. II. 4. dicunt ei  
possumus. Nimia sæpe mortalium de se præsumtio est. Pf. X.  
6. Matth. XXVI. 33. 56. Joh. XI. 16.

23.

Et illis adeo ambitiosis Ministris ait ac innuit commu-  
nionem crucis, quæ præsentissimum omnis ambitionis anti-  
doton

doton 2. Cor. XII. 7. potuisset respondere durius, sed mitis //  
 est. Jes. XLII. 2. Pf. XXXVII. 24. C. III. 8. 10. 13. meum qui-  
 dem poculum crucis bibetis, non quidem adeo perfecte,  
 ac ego, crucis portio quemvis manet Christianum. Pf. XXXVIII.  
 18. XLIV. 23. LXIX. 23. LXXV. 9. Jes. LI. 17. Ez. XXII. 3. ex  
 Domini destinatione, Christi conformatione statusque ratione.  
 & baptisate tam sanguinis quam flaminis quo ego ba-  
 ptizor baptizabimini cum mensura quidem; sedere au-  
 tem ad dextram meam & sinistram meam, hinc diver-  
 sos futuræ gloriæ gradus juxta proportionem geometricam elicit  
 Episcopus s. h. l. f. m. 130. b. v. & Dorsch. Pentat. p. 452. non  
 τὸ non nequaquam potentiam negat, sed tantum limitat ob-  
 jectum, sensus enim genuinus hic est: Sedere ad dextram &  
 sinistram non est meum dare (aliis) nisi iis, quibus paratum est. //  
 At sic nec Pater aliis, quam quibus ab æterno dare decrevit,  
 largitur. Est pro hoc exinanitionis meæ statu, ψ. 28. meum  
 i. e. non est officii mei Mediatorii ψ. 28. nec ad id in mundum  
 missus sum, ut functiones distribuerem seculares. A negatio-  
 ne muneris vero ordinarii ad negationem absolutam potentiæ  
 N. V. C. Messias non est Rex Mundanus, nec ejus officii Me-  
 diatorii distribuere regna mundana, E. nec habet potestatem  
 absolutam disponendi. Neg. Conseq. disponet enim regnum  
 gloriæ Luc. XXII. 29. Ap. III. 21. dare actuque secundo con-  
 ferre Vobis Ecclesiæ Ministris, sed aliis, adeoq; ἀλλὰ non dan-  
 tes discernit, sed accipientes & pro exceptivo εἰ μὴ ( ut ex Marc.  
 IX. 8. coll. Matth. XVIII. 8. 2. Cor. II. 5. &c. patet ) h. l. sumitur  
 iis obtinget, alii, quibus paratum est sedere ad dextram Christi  
 & sinistram, opponuntur h. l. filiis Zebedæi in accipiendo, non  
 B filius



filius Patri in dando. Filii enim non est hoc dare, nequaquam ex impotentiâ, sed ob summam cum Deo Patre unitatem ac harmoniam. quibus paratum est à Patre, cujus opera sunt & filii, Joh. V. 17. 19. III. 35. Matth. XI. 27. nec ὑπὸ τοῦ πατρὸς est exclusivum, ac si filius ab æternæ præparationis decreto esset exclusus, uti Arianis aliisque Divinitatis Christi hostibus visum, sed in omnibus Filius est inclusus. Eph. I. 4. 2. Tim. I. 9. Ita terrena petentibus Christus per consuetam ἀναγωγὴν de cœlestibus respondit, nec non hâc ipsâ edocuit repullâ, non esse omnibus statim petitionibus annuendum I. Reg. II. 22. Jer. XLV. 5. quin imo electionem esse gratuitam.

ψ. 24.

Et audientes decem discipuli indignati sunt, adeoque nec ipse Petrus fuisse primas potest, nedum infallibilis de duobus fratribus. Quantum malum invidia & regentis enim bilem movet cōtra fratres, invidiæ autem mater, uti Bernhardus loquitur est ambitio, quin & jurgiorum, Prov. XIII. 10. XXVIII. 25.

ψ. 25.

Jesus autem & pacis & humilitatis amans vocavit eos tam intempestivè æmulos à se & ait: I. vitanda Scitis, quantum ministerii, ad quod vocavi vos, humilitas à thronorum secularium fastigio abhorreat, uti itaque filii Zebedæi nesciunt, quid petierint, ita vos quoque nescitis, quid indignemini, quod Principes Gentium Ne Pontifex sibi dominatum in Episcopos iniquè arrogare videatur, Bellarminus lib. V. c. 10. d. Pontif. R. autumat, dominatum non omnem h. l. abjudicari Apostolis, sed tyrannicum modo, nomine inde κατακυριεύειν, quin & κατεξουσιάζειν venientem Tom. II. f. 900. Verum

rum enimvero Principes gentium non sunt omnes tyranni, sed & evergetæ, ut nec τὰ ἔθνη sunt ethnici meri, sed γενικῶς omnes populi Matth. XXIV. 7. Luc. VII. 5. XXIII. 2. Joh. XI. 48. Act. II. 5. ii dominantur κατακυριεύειν idem est Luc. XXII. 25. ac κυριεύειν, imo à LXX. usurpatur de Adamo Gen. I. 28. Deo, Pl. LXXII. 8. Christo. Pl. CX. 3. tale κατακυριεύειν h. l. intelligendum, quale discipuli affectarunt & Magister a se removit. At nec tyrannicum affectarunt, nec tantum tyrannicum is a se removit, sed omne & magnates potestatem exercent in eos, κατεξουσιάζειν est Luc. XXII. 25. ἐξουσιάζειν Nec κατὰ semper arguit malum, sed significationem sæpius intendit, uti in κατανοῆσαι καταφάγειν &c. quod Bellarminus Lib. II. d. Monach. c. 9. ipse agnoscit T. II. f. m. 377.

ψ. 26.

Non ita Si Christus modum tantum tyrannidis prohibuisset Apostolis, illorum ambitionem nondum inhibuisset, instare adhuc valentium, tyrannidem non affectamus, sed ipsum imperium. Quin imò si illo ἐχ ἕτως modus tantum tyrannicus non dominium ipsum Ministris denegaretur, pariter & ex illo, quod Christus de libello repudii ob duriciem dato dixit: *Non ita erat ab initio*, Matth. XIX. 8. inferre liceret: E. ab initio non ob duriciem, sed tamen datus fuit, erit inter vos Ministros, hos enim hoc ferit responsum, qui disputarunt de Primatu ψ. 24. Adeoque Magistratus ac dominium seculare h. l. non abrogatur inter Christianos, ut Rannichio in Colloq. Franckenth. p. 495. & Wolzogenio videtur Tom. II. f. 259. b. utpote ab ipso Christo satis stabilitum Matth. XXII. 21. Joh. XIX. II. sed Ministris tantum Ecclesiæ interdicitur conf. Joh. XVIII. 36. I. Pet. V. 3. solâ potestate Ecclesiasticâ contentis. Matth. XVI.

B 2

19. XVIII.

19. XVIII. 18. Joh. XX. 53. Sed quicumque inter vos voluerit magnus fieri, sit vester Minister. Recta ad honores via non est ambitio sed submissio. Luc. XVIII. 16.

ψ. 27.

(II.) Inculcat Christus & facienda: Et qui voluerit inter vos primus esse, sit vester servus. Tria potissimum ad humilitatem sunt incitamenta, I. Dei præcepta, conf. Mich. VI. 8. Matth. XI. 29. 2. commoda, Job. XXII. 29. Ps. CXIII. 8. 9. I. Petr. V. 6.

ψ. 28.

3. Imitanda quoque Christus proponit, suum præsertim exemplum: Sicut, argumentum quidem non est à pari, sed à majori h. m. Quicumque vult fieri primus in gloriâ, fiat postremus in gratiâ, quemadmodum Filius hominis non venit in mundum, I. Joh. IV. 2. 3. ut ipsi exinanito nihilominus ceu Magnatibus, ψ. 25. ministraretur continuè & ab omnibus, sed ut in officio sacerdotali ministraret exinanitus ut famulus Hero. Luc. XXII. 27. Hæc tamen *κρῶσις* sublimitatem Mediatoris non absorpsit, servivit autem ille, ut Adami factum lueret & daret, non ut captivus datur pro captivo per meram tantum commutationem, non propriam surrogationem, duo enim captivi ejusdem sunt conditionis, Christus & peccatores non item. Quilibet captivorum amico redditur, hic nec Deus hominis, nec homo Dei amicus erat. Permutatio captivorum absque reconciliatione peragitur (nec enim captivus ei, cui redditur, reconciliandus est,) hic reconciliatio necessario intercessit. Neuter captivorum patitur id, quod alterum pati in captivitate suâ oportebat, hic Christus passus est,

est, quod homines pati debebant, animam suam tristem,  
 i. e. semetipsum I. Tim. II. 6. Eph. V. 25. Tit. II. 14. pro animâ  
 Ἀντρου E. Satisfactor est proprius pro, ἀντὶ surrogationem  
 vice alterius notat, Matth. II. 22. V. 38. XVII. 27. Luc. XI. 7.  
 2. Joh. I. 16. Rom. XII. 17. I. Thess. V. 15. I. Cor. XI. 15. Eb. XII.  
 16. Jac. IV. 15. exponiturque per ὑπέρ I. Cor. I. 13. 2. Cor. V. 21.  
 Multis. Multi Dan. XII. 2. redduntur per omnes. Joh. V. 28.  
 conf. & Rom. V. 12. 18. 19. præsertim & h. l. multi sunt omnes  
 collato cum Joh. VI. 51. 2. Cor. V. 14. I. Tim. II. 6. Sin ultra  
 salutis acquisitionem, quam principaliter h. l. Christus edocet,  
 verba & ad actualem salutis participationem extendere malis,  
 aliquam ( hoc respectu sc. applicationis, ) meriti Dominici  
 particularitatem concedunt Hieronymus s. h. l. S. Schmid.  
 Part. II. Colleg. Bibl. p. 60. & Kromaj. Scrutin. Rel. p. 360.  
 uti vicissim ejus universalitatem, ( respectu sc. acquisitionis )  
 agnoscit ipse etiam W. Musculus in Jes. LIII. 15. *Quid ergo?*  
*Annon pro omnibus mortuus est Christus? sicut Apostolus 2. Cor. V.*  
*diserte testatur. Si pro omnibus, E. & omnium peccata tulit. Re-*  
*spondeo: Omnium peccata tulit, si sacrificium illius secundum*  
*virtutem ipsius in se consideres & cogites, neminem excludi ab*  
*hac gratiâ, nisi qui illam respuit. Sic dilexit mundum hunc Deus,*  
*ut filium suum dederit, ut quotquot credunt in eum, vitam ha-*  
*beant aeternam, Joh. III. Si verò respicias eos, qui sic credunt, ut*  
*serventur, recte multorum peccata tulisse dicitur. fol. 731.*

v. 29.

Et egredientibus illis ex Jericho Lucas quidem c.  
 XVIII. 35. refert, quod Christus cæco restituerit visum appropin-  
 quans Jericho, sed ἐγγίζων non semper motum ad locum notat,  
 sed sæpe viciniam innuit ut Luc. XIX. 29. ut hujus sit loci sen-

B 3

tus,

sus, *cum haud procul a Jericho Jesus abesset.* Secuta est eum turba multa solatifuâ ejus doctrinâ stupendisque miraculis illecta. A Christo enim sole justitiæ illuminatos atque conversos exire decet ex Jericho, quæ lunæ nomine venit mundique instabilis refert figuram.

ψ. 30.

Et ecce duo cæci sedentes juxta viam, unus tantum cæcus legitur à Christo curatus ante ingressum oppidi Luc. XVIII. 35. & unus post egressum Marc. X. 46. utrosque juxta Chrysostrum, Theophylactum, Walterum ac Tossanum h. l. Matthæus *φιλοσόφου* conjungit, uti duos quoque dæmoniacos habet c. VIII. 27. comparante tantum uno & Marc. V. 2. & Luc. VIII. 27. Quod si nodum cum Hunnio, Lysero, A. Osiandro C. Jansenio secare malis, dices diversas recenferi historias à diversis Evangelistis, quæ & Augustini lib. II. Q. Q. Evang. c. XLVIII. & lib. II. d. confens. Evang. c. LXV. fuit sententia. Tom. IV. f. m. 360. & 453. cum audiissent, solamen cæcis vel maximum auribus percipere verbum divinum, ex cujus auditu fides. Rom. X. 17. quod Jesus transiret, Transit gratia Christi nulli certo alligata loco, hinc tempore captanda. Gen. XVIII. 3. Ex. XXXIII. 22. XXXIV. 6. I. Reg. XIX. II. Job. IV. 15. IX. II. Cant. II. 8. III. 4. Luc. XXIV. 29. clamaverunt dicentes *Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseveret intentio;* scribit Augustinus Epist. CXXI. c. 10. T. II. f. m. 624. conf. Matth. VI. 7. Syr. VII. 15. Domine, Hæc cæcorum biga omnibus & scribis & Phariseis perspicacior fuit, cui Christi Majestas in medio exinanitionis statu adeo fuit perspecta. miserere nostri Fides non tantum

tantum notitia est, sed fiducia quoque in Dei misericordiâ fundata. Fili David ad cuius, Messiaë quippe adventum cæcorum apertura oculorum pridem fuerat promissa. *Jes. XXXV. 5.*

ŷ. 31.

Turba autem objurgabat eos, ut tacerent. Piis precibus cordisque devotioni varia subinde interponuntur offensacula. *Dan. VI. 7. 8. 9. Matth. XIX. 13.* at illi magis clamabant Quo plus percutitur silex, eo plus emittit scintillarum, quo vehementius flant Auster & Aquilo, eo largius fluunt aromata precum. *Cant. IV. 16.* sic & invicta fides precibus instat omnibusque perruptis repagulis contra audentior it. *Gen. XV. II. Matth. VII. 7. Luc. XIX. 40. XXII. 44.* dicentes: Miserere nostri. Nostra nos miseria compellit ad aram misericordiæ *Pf. XXV. 6. 7. LXXIX. 8. Dan. IX. 19. Matth. IX. 28. XV. 22.* Domine fili David Qui & Dominus & filius Davidis. *Matth. XXII. 45.* is solus in angustiis adeundus est & invocandus. *Pf. XLV. 12. L. 15. Jes. XXVI. 16.*

ŷ. 32.

Et cum substitisset Jesus, uti sol ad Josuæ preces, quæ quam efficacissimæ *Jos. X. 12. 13. Jacob. V. 16. Pf. XXXIV. 7.* vocavit eos, ne E. cæcos offendas. *Lev. XIX. 14. Deut. XXVI. 18.* & dixit. Quam humanissima Christi vox *Matth. XI. 28.* Quid vultis? faciam vobis, Salvator est ad nutum fidelium promptissimus *Pf. XCI. 14. CXLV. 19.*

ŷ. 33.

Dicunt ei Domine in Spiritu & cum fiducia *1. Cor. XII. 3.* *Jac. I. 6.* ut aperiatur oculi nostri. Pro illuminatione  
neis

ne is rogandus, qui ipsa lux est. Pf. XIII. 4. XXVII. 4. CXIX. 18. solusque aperire oculos potest, Gen. XXI. 19. 2. Reg. VI. 17.

ŷ. 34.

Tunc intimè commotus Jesus, *σπλαγγνίζεσθαι* notat commiserationis affectum ex intimo corde profectum, quem Paulus vocat *σπλαγγνα οικτιρω̄ων* Col. III. 12. videnotas in Matth. XVIII. 27. E. Schmid. in Matth. XIV. 14. & Olear. Exerc. Philol. p. 51. & tam misericordem habere Pontificem iuvat. Eb. IV. I. tetigit oculos eorum manu, cui per unionem personalem divina virtus communicata Matth. IX. 29. Jes. LIX. 1. ceu verus Messias, cuius *εργον* cæcorum aperire oculos Jes. XXXV. 5. Luc. IV. 18. Matth. XI. 5. & statim visum receperunt eorum oculi Natura paulatim, Deus in momento operatur Pf. XXXIII. 9. Matth. VII. 13. IX. 30. XII. 22. XV. 28. XVII. 18. Joh. IV. 53. IX. 7. & secuti sunt eum haud ingrati. Ecceur divinitus illuminati non sequantur lucem, uti Israelitæ columnam ignis & Magi stellam? conf. Prov. IV. 18.

Joh. VIII. 12. XII. 35. 46.

Clarissimo Dn. M. FISCHER S. P. D.

PRÆSES.

Cum rete sacrum tanto tractes studio, Te nomen & omen habiturum, haud vanus augur existo. Nec solum enim Petrum, ut Bellarmino videtur, id attinet Magistri: *Homines eris ζωγων* i. e. capiens ad vitam. *Piscium venator* quidem *vitâ privat, quos capit*, sunt verba Theodoreti ep. 76. at *Piscator noster, quos vivos ceperit, ab amaris mortis vinculis liberat*. Fac similiter, ut in Piscatorem evadas hominum, plures capientem ad vitam æternam. Stimulum addit laudatissimum Dignissimi Dn. Parentis exemplum, qui non per unam modo noctem, sed per semiseculum prope rete Evangelii posuit, nec jam tum cessat. Sic non piscaberis in aere, sed alter eris Johannes alterque Jacobus, qui cum Parente in eadem sederunt cymbâ, & idem tractarunt rete forte læti eadem. Pariter vive & Tu atque VALE.